

7

QUAESTIONUM THUCYDIDEARUM
PARTICULA ALTERA.

SCRIPSIT

F. H. KAEMPF,

PHIL. DR.



QUESTIOM THUCYDIDEA
PARTICULA ALTERA

SCRIPTIT

F. H. RAEMPE

PHIL. DR.

Quum hodie quoque persuasum mihi sit certissime, verum esse quod nuper monui¹⁾, quae in libro Thucydidis ad intelligendam sententiam reliquae sunt difficultates, eas maximam partem non ita esse comparatas, ut, depravata librorum scriptura, coniectando quaerenda esset medela, aut a novorum codicum manu scriptorum ope, si quis forte quem repperisset, subita quaedam speranda lux, sed longe plurimarum hanc esse rationem ac naturam, ut diligentius investiganda scriptoris mente verborumque, uti scripta sunt, rectius interpretanda sententia viderentur removendae: tum non minus veram Popponis censeo sententiam, maiorem ullam in libro Thucydidis partem pro supposita habendam esse negantis²⁾. Et quum duae imprimis eius partes num vere a Thucydide profectae sint, an ab alio nescio quo additae, vehementer vel a veteribus interpretibus, vel a recentioribus dubitatum sit, universus liber octavus et libri tertii cap. 84, de libro octavo quidem res ita hodie explorata est, ut nihil superesse videatur ad refutandam eorum sententiam, qui ultimam historiae belli Peloponnesiaci partem a Thucydide conscriptam negaverint. De libri III. cap. 84, de quo adhuc disceptatur, hoc loco propositum nobis est paullo accuratius quaerere.

Enarratis atrocissimis inter plebem nobilesque Corcyrae contentionibus, quae novo quodam in adversarios furore et ante illud tempus inaudito civium animos succenderent, Thucydides, ubi similibus seditionibus mox universae Graeciae statum labefactatum, vitam publicam privatamque dilaceratam, naturam humanam depravatam ac perversam esse exposuit, lib. III, cap. 84. ita pergit:

ἐν δ' οὖν τῇ Κερκύρῃ τὰ πολλὰ αὐτῶν προετολμήθη καὶ ὁπόσα ὕβρει μὲν ἀρχόμενοι τὸ πλεον ἢ σωφροσύνη ὑπὸ τῶν τὴν τιμωρίαν παρασχόντων οἱ ἀνταμυνόμενοι δράσειαν, πενίας δὲ τῆς εἰωθυίας ἀπαλλαξείοντες τινες, μάλιστα δ' ἂν διὰ πάθους ἐπιθυμοῦντες τὰ τῶν πέλας ἔχειν παρὰ δίκην γινώσκοιεν, οἳ τε μὴ ἐπὶ πλεονεξίᾳ, ἀπὸ ἴσου δὲ μάλιστα ἐπιόντες, ἀπαίδευσις ὀργῆς πλεῖστον ἐκφερόμενοι, ὡμῶς καὶ ἀπαραιτήτως ἐπέλθοιεν. ξυνταραχθέντος τε τοῦ βίου ἐς τὸν καιρὸν τοῦτον τῇ πόλει, καὶ τῶν νόμων κρατήσασα ἡ ἀνθρωπεία φύσις, εἰωθυῖα καὶ παρὰ τοὺς νόμους ἀδικεῖν, ἀσμένῃ ἐδήλωσεν ἀκρατῆς μὲν ὀργῆς οὕσα, κρείσσω δὲ τοῦ δικαίου, πολέμια δὲ τοῦ προὔχοντος. οὐ γὰρ ἂν τοῦ τε ὁσίου τὸ τιμωρεῖσθαι προὔτιθεσαν τοῦ τε μὴ ἀδικεῖν τὸ κερδαίνειν, ἐν ᾧ μὴ βλάπτουσαν ἰσχὺν εἶχε τὸ φθονεῖν. ἀξιοῦσι τε τοὺς κοινούς περὶ τῶν τοιούτων οἱ ἄνθρωποι νόμους, ἀφ' ὧν ἅπασιν ἐλπίς ὑπόκειται σφαλεῖσι καὶ αὐτοὺς διασώζεσθαι, ἐν ἄλλων τιμωρίαις προκαταλύειν καὶ μὴ ὑπολείπεσθαι, εἰ ποτε ἄρα τις κινδυνεύσας τινὸς δεήσεται αὐτῶν.

Huiusce capituli ad quemque ab initio ad finem versum in cod. Augustano dubitationis notae sunt appositae, et in margine hoc scholion, adscriptum: τὰ ὠβελισμένα οὐδενὶ τῶν ἐξηγητῶν ἔδοξε Θουκυδίδου εἶναι. ἀσαφῆ γὰρ καὶ τῷ τύπῳ τῆς ἐρμηνείας καὶ τοῖς διανοήμασι πο-

1) Quaestiones Thucydideae, in progr. gymnas. Neo-Ruppinensis. 1843.

2) Thucyd. ed. Poppo edit. maj. II, 1, p. 11.

λὸν ἐμφαίνοντα τὸν νεωτερισμόν. Et in codice Casselano eiusdem scholii pars prior ita transcripta extat: τὰ ὀβελισμένα οὐδενὶ τῶν ἐξηγητῶν ἔδοξε Θουκυδίδου εἶναι; sed obelis ad verba Thucydidis non appositis, non apparet, quo scholiastae verba pertineant. Editorum ante Bekkerum nemo aut ipse in hoc capite offendit, aut scholiastae Augustani dubitatione, ut offenderet, permotus est. Primus Imm. Bekker in editione maiore uncis universum caput inclusit, quem deinde recentiores editores fere omnes secuti sunt, aut et ipsi uncis includentes, aut certe dubitare sese significantes, num genuinum esset et a Thucydide profectum. Qua in re mira tribus editorum principibus sors accidit. Nam Poppo quum in disputatione de artis criticae in Thucydide exercendae ratione ¹⁾ contra scholiastam et Bekkerum caput defendisset, postea in utraque editione uncas apposuit atque in adnotationibus ita loquitur, ut appareat, inclinare eum eo, ut pro spurio habeat. Arnoldus in priore editione ²⁾ ita capitis contra Goellerum patronus extitit, ut non modo genuinum sibi videri affirmaret, sed persuasum sibi esse adderet, a nemine, nisi a Thucydide, ita scribi potuisse. At eiusdem in editione altera eo inclinat sententia, ut spurium existimet, non quod sententiae, quae contineantur eo capite, Thucydide non plane dignae sint, sed quod sermo ita comparatus videatur, ut, imitatus Thucydidem, eius scribendi genus ridicule pervertat. Bloomfieldius contra quum in minore editione uncis caput circumclusisset, in interpretatione Anglica, ultra ceteros progressus, totum ut spurium omisisset, in editione altera patrocinium eius strenue suscepit. Ex reliquis recentioribus vix quisquam in defensoribus eius numerandus est praeter Didotum: reliqui fere omnes scholiastae Augustani sententiam amplexi sunt. Et vehementissime quidem Goeller in utraque editione integritatem capitis impugnavit; verum Haackius quoque in editione altera, et Bekker in editione stereotypa et Haasius et Krüger uncas addidere.

Quodsi causam quaerimus, cur abiudicandum a Thucydide hoc caput illis visum sit, duplex est argumentorum, ad fulciendam eam sententiam propositorum, ratio, quum et externis et internis causis adductos sese ut spurium condemnare profiteantur.

Externarum rationum consentaneum est, quicumque caput spurium existiment, primo loco scholiastae Augustani testimonium ponere, verba obelis notata nemini interpretum a Thucydide profecta visa esse scribentis. De eo igitur in primis testimonio quaerendum erit, quid statuendum videatur. At sive „interpretes“ illi scholiastae ipsi intelliguntur, sive, id quod veri est similis, veteres illi grammatici, ex quibus, quum interpretando Thucydidi operam navassent, recentiores, quos scholiastarum nomine complectimur, sua videntur hausisse: si ii omnes subditi- cium hoc caput iudicassent, permirum profecto esset, quod nullum pervulgatissimae eius sententiae vestigium ad nos pervenit, nisi unum illud unius scholiastae testimonium. Cui ne quis inde maiorem auctoritatem accedere existimet, quod idem in cod. Casselano legatur, verbo monere satis erit, aperte aut scholion Casselanum ex Augustano esse transcriptum, aut utrumque ex communi fonte haustum, ut non duorum grammaticorum auctoritatem, sed unius, habeas. Et apud eum, qui cod. Casselano ista verba adscripsit, quam exiguum ea pondus habuerint, inde apparet, quod neque alteram eorum partem addidit, qua continetur causa, cur obelis notata nemini interpretum integra visa sint, nec operae pretium duxit, obelos ipsos apponere. Itaque scholii Augustani auctor, quisquis is fuit, ipse videat, quo iure interpretes omnes caput illud a Thucydide abiudicasse scripserit. Equidem, quum et ii, qui ad nostram aetatem pervenerunt, libri mss. ad unum omnes id exhibeant, et quibus veteres illi, quos scholion Augustanum inter-

1) Thucyd. ed. Poppo edit. mai. II, 1, p. 12.

2) In excursu editioni subiecto p. 608 sq.

pretum nomine significat, grammatici utebantur, exhibuisse ex eo ipso appareat, quod de integritate eius illi dicuntur iudicasse, nisi certiora sententiae istius firmamenta accesserint, levissima unius, nescio cuius, scholiastae auctoritate persuaderi mihi non sinam, ut caput spurium existimem.

At recens id adiectum esse, etiam scholiorum probat paucitas, quae in cod. Augustano nulla, in reliquis quatuor tantum locis adscripta sunt. — At id de Augustano quidem nemo mirabitur, cuius scholiastam, quum totum caput pro spurio haberet, consentaneum est supersedissee interpretandi eius labore. Sed diversa est reliquorum scholiastarum causa. Qui quum de integritate capitis non videantur dubitasse, non potuerunt ea dubitatione adduci, ut interpretandi operam refugerent. Ut dicam, quod sentio, ea ipsa res, quod non ita multa insunt in illo capite, quae interpretatione egeant, effecisse videtur, ut pauca interpretandi causa adderentur. Nam neque multorum in eo vocabulorum vis atque significatio obscura est, et singulae sententiae magna ex parte planae ac perspicuae, earumque perpetuitas ita comparata, ut haud nimiam interpretandi difficultatem praebeat.

Quae quum ita sint, tertium quoque, quo capitis integritatem impugnare conati sunt, argumentum concidit, ex veterum grammaticorum ac rhetorum de eo silentio petatum. Et si quis omnia, quorum in grammaticis rhetoribusque veteribus non fit mentio, capita ex libro Thucydidis elicienda statuatur, misere dilaceratum, ut merito Arnoldus monuit, Thucydidem habeamus.

Superest quartum argumentum, in quo vel ii, qui verba obelis notata defendunt, plus quam in reliquis momenti ad fulciendam eorum sententiam positum fatentur, qui interpolata ea existimant. Nam Dionysius in libro *περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος*, postquam sese habere negarit, quomodo illa in Thucydide laudaret, quae praeclara quibusdam ac laude digna viderentur, quum ne primas quidem maximeque vulgares haberent virtutes, sed propter affectatum nimioque exornandi studio luxurians scribendi genus neque dulcia essent, neque utilia, exempla quaedam sese allaturum professus, ex tertio libro Thucydidis eum locum proponit, quo de Corcyraeorum seditione agitur. Ibi quam diu communi omnibus usitatoque sermone res gestae exponantur, perspicuam et brevem et plenam dicit narrationem; at ubi Thucydides communes Graecorum calamitates tragicorum more exaggerare dictioneque ab eo, quod usu receptum sit, recedere incipiat, desinere eum esse laude dignum. Itaque priorem quidem narrationis illius partem inde ab his capitis 81. verbis: *Κερκυραῖοι δὲ αἰσθανόμενοι τὰς τε Ἀττικὰς ναῦς προσπλεύσας* usque ad haecce capitis 82. verba: *διαφορῶν οὐδὼν ἐκασταγοῦ τοῖς τε τῶν δῆμων προστάταις τοὺς Ἀθηναίους ἐπάγεσθαι καὶ τοῖς ὀλίγοις τοὺς Λακεδαιμονίους* neminem facile esse reprehensurum; sed quae deinde sequantur, ea esse perplexa et obscura et *τὰς τῶν σχηματισμῶν πλοκάς σολοιζοφανεῖς ἔχοντα*. Quam sententiam ut veram esse comprobet, sequentem capitis 82. partem, severe singula examinans, percenset usque ad verba *καὶ τῷ μὲν αἰσχύνονται, ἐπὶ δὲ τῷ ἀγάλλονται* (§. 7. extr.). Deinde quasi veritus, ne lectores fatiget, quae sequantur nihil de suo addentem sese transcripturum professus, reliquam capitis 82. partem et universum caput 83. profert, nulla capitis 84. mentione facta. Cuius praetermissionis haud improbabilem quidem eam causam Arnoldus attulit, quod, quum capita 82 et 83. iam satis multa suppeditassent ad probandum id, quod vellet, ne pluribus lectores teneret, in exitu capitis 83. opportunum orationis finem nactus, Dionysius substituit, nec quidquam praeterea addiderit. Idem tamen non minus probabilem, cur caput 84. praetermissum sit, eam causam esse dictitat, quod id in suo exemplo historiae Thucydideae aut non invenerit Dionysius, aut non genuinum existimaverit. Arnoldo reliqui editores assentiuntur. At mihi quidem longe secus videtur. Etenim Dionysius, ubi communes Graecorum calamitates tragicorum more exaggerare dictioneque ab eo, quod usu receptum

sit, recedere incipiat Thucydides, desinere eum esse laude dignum dictitat¹⁾. Itaque quum *communes Graecorum calamitates, seditionibus illatae civitatibus*, cap. 82 et 83. exponantur, capite 84. ad peculiarem Corcyraeorum statum redeat oratio, merito Dionysius in fine capitis 83. substitit, quum non esset, cur ad cap. 84. progrediretur.

Itaque, si argumenta omnia ex rebus externis sumta animo repetiveris, quibus capitis 84. auctoritatem infringere conati sunt, unum superest unius scholiastae testimonium, idque, si illud urgemus, quod verba obelis notata *nemini* interpretum Thucydidis visa esse dictitat, quum neque reliqui scholiastae ullam de iis dubitationem moveant, et libri manu scripti ad unum omnes ea exhibeant, aperte falsum. Quum tamen non sit verisimile, totum illud scholiastae Aug. testimonium fictum esse et commenticium, necesse erit concedamus, quum, ut codicum, ita scholiorum quoque Thucydidis quasi diversae videantur esse familiae, ad diversos auctores revocandae, sitque probabile, scholiastam Aug. ex parte quidem diversum a ceteris fontem secutum esse²⁾, unum quidem ex veteribus grammaticis, historiae Thucydideae interpretibus, in ea fuisse sententia, ut hoc caput adulterinum esse putaret, eamque sententiam a scholiasta Aug. deinde perperam ad omnes interpretes esse translatam. Quae caussa in dubium vocandae integritatis illius capitis, ab omnibus libris mss. exhibiti, quamquam per se spectata levissima est, fortasse tamen ex totius loci natura et sententiarum habitu indoleque sermonis tantum veteris illius grammatici testimonio accedit auctoritatis, ut idem et nos sequi cogamur.

At vehementer de ea re interpretes inter se dissentiunt. Nam scholiastes Aug. quidem eam affert causam, cur obelis notata ab interpretibus improbata sint, quod sint obscura magnamque, quod ad rationem interpretandi sententiasque pertineat, insolentiam prae se ferant: singillatim, qualis sit illa obscuritas et insolentia, non docuit. Vehementissime quum in sententiarum tum in sermonis naturam invectus est Goeller, non ut scholiasta in universum vituperans, sed nominatim singula perstringens. Arnoldus contra in priori editione ob id ipsum certissime sibi persuasum esse dicit, hoc caput esse a Thucydide scriptum, quod universus locus Thucydideum quiddam spiret, eaque sit in eo et sermonis et sententiarum indoles, ut nemo, nisi Thucydides, ita scribere potuerit. Et de sententiarum quidem natura plane Thucydidea in posteriore quoque editione idem iudicat, sed de sermonis indole sententiam mutavit, asperum illum et affectatum dicens et imitando Thucydidis scribendi genus ridicule pervertentem. Bloomfieldius quum in interpretatione Anglica summatim dixisset, inesse in hoc capite „much feebleness of thought et neoteric expression“, in editione altera concedit quidem, maiorem in eo esse asperi-

1) Dionys. Halic. περί τοῦ Θουκυδίδου χαρακτήρος pag. 148 (Krüger): ἐγὼ γοῦν οὐκ ἔχω, πῶς ἐκεῖνα ἐπαινώσω τὰ δοκοῦντα μεγάλα καὶ θαυμαστά εἶναι τισιν, ὅσα μὲν τὰς πρώτας ἀρετὰς ἔχει καὶ κοινοτάτας, ἀλλ' ἐνενέχεται τῷ περιέγῳ καὶ περιττῷ μῆτε ἡδία εἶναι μῆτε ὀφείλημα· ὃν ὅλγα παρῆσθαι δείγματα, παρατιθεῖς εὐθὺς ἑκάστοις τὰς αἰτίας, δι' ἃς περιέστηκεν εἰς τὰς ἐναντίας τὰς ἀρετὰς κακίας. Ἐν μὲν οὖν τῇ τρίτῃ βίβλῳ τὰ περί Κέρκυραν ὁμιῶ καὶ ἀνόσια ἔργα διὰ τὴν στάσιν εἰς τοὺς δυνατωτάτους ἐκ τοῦ δήμου γεγόμενα διεξιὼν, ὥς μὲν ἐν τῷ κοινῷ καὶ συνήθει τῆς διαλέκτου τρόπῳ τὰ πραχθέντα δηλοῖ, σαφῶς τε καὶ συντόμως καὶ δυνατῶς ἅπαντα εἰρηκεν· ἀρξάμενος δὲ χιττραγωδεῖν τὰς κοινὰς τῶν Ἑλλήνων συμφορὰς καὶ τὴν διάνοιαν ἐξάλλαντιν ἐκ τῶν ἐν ἰδίῳ μακρῷ τινὲ γίγνεται χέλιον αὐτὸς ἑαυτοῦ.

2) Thucyd. ed. Poppo edit. mai. II, 1, p. 67: E plurium interpretationibus consuta esse (Thucydidis scholia), fidem facit liber Casselanus, in quo quum primum tantum pars eorum, quae in vulgatis leguntur, vetusta manu scripta fuisset, deinde alius longe recentior multa addiderat, haud dubie quod ea in aliis exemplaribus scripta invenerat [Duker]. Clarius idem ex Aug. perspicitur, qui admodum magnam vulgarium Scholiorum partem omittit, et pro iis interdum alia addit, sicut etiam in Reg. Bas. Pal. passim alia Scholia leguntur. Ac saepe uno in loco interpretationes a diversis hominibus propositas cernimus, quarum altera alteri repugnat et refellere nonnunquam conatur, dum alibi utraque consentit et bis idem dicitur.

tatem insolentiamque orationis, quam vel in duobus, quae antecedant, capitibus, sed et ingenium in eo Thucydideum et sermonem agnoscere sibi videtur, hunc quidem, quod manus extrema scriptoris nescio qua causa non accesserit, minus perpolitum, quam ullius alius primorum septem librorum partis, quamquam non minus, quam unum aut duo locos octavi libri, quippe cui et ipsi ultima manus non accesserit. Haackius in editione 2. interna argumenta, ex sententiarum et sermonis natura petita, non satis valida esse iudicat ad hoc caput condemnandum, sed cum externis scholiorum testimoniis coniuncta sufficere ea arbitratur, ut Thucydidi hic pannus abiudicetur. Poppo et Krüger, in universum quid de sententiarum, quae hoc capite continentur, sermonisque indole iudicarent, non aperuerunt, sed in singulis et sermonem aliquot locis improbant, et sententias sibi displicere dicunt. Mihi quidem, ut hic statim profitear, quid sentiam, universi capitis ea videtur esse natura eaque et sententiarum et orationis indoles, ut genuinum id esse et, si quod aliud, a Thucydide scriptum certissime persuasum sit.

Ad quam sententiam tuendam accuratius iam in singula inquiremus adversariorumque argumenta ad integritatem loci in suspicionem vocandam proposita, diligentius examinabimus. Quod ut ordine quodam fiat, Goellerum imprimis sequemur, ut qui plurimis argumentis, ex sermonis sententiarumque natura petitis, auctoritatem capitis impugnaverit, addentes, quae ab aliis, Arnoldo maxime et Poppone, adiuncta sunt. Et quae iam alii refutarunt, ea nos aut praetermittimus, aut verbo commemorare satis habebimus, copiosius de iis disputaturi, quae adhuc inconcussa stant.

Statim in limine capitis in verbis *ἐν δ' οὖν* offendit Goeller, quia nihil contrarii praecesserit. At merito Poppo monuit revocari iis verbis orationem ad extrema cap. 81. verba *οὕτως ὡμῇ [ἐν Κερκύρα] στάσις προῦχώρησε, καὶ ἔδοξε μᾶλλον, διότι ἐν τοῖς πρώτῃ ἐγένετο*. Nam postquam cap. 82 et 83. de universa Graecia esset expositum¹⁾, iam ad unam Corcyram rediri. De qua vi particulae *οὖν* cf. Matthiae gr. gr. §. 625. Et frustra hanc interpretationem eo refellere conatus est Goeller, quod vel sic haec verba mera essent eius repetitio, quod Thucydides cap. 85. initio diceret: *οἱ μὲν οὖν κατὰ τὴν πόλιν Κερκυραῖοι τοιαύταις ὁργαῖς ταῖς πρώταις ἐς ἀλλήλους ἐχρήσαντο*. Intelligit enim *τὰς πρώτας ὁργάς* non de solis Corcyraeis, sed de Graecis universis, ad superlativum (*ταῖς πρώταις*) suppleri iubens *τῶν Ἑλλήνων*, non *τῶν ἐαυτῶν*. At id Graece ita dici non poterat, quum ad eam sententiam efficiendam articulus ante *πρώταις* omittendus esset. Itaque unice vera Popponis est sententia, Thucydidem, ad eum, qui postea fuerit, seditionis Coreyraeorum decursum, lib. III, 85. et lib. IV, 46 sq. expositum, respicientem, hoc primis cap. 85. verbis significare voluisse docentis: has primas iras inter se exercuisse Coreyraeos; atrociora fuisse, quae postea committerent. Qua probata interpretatione, bene omnia inter se conveniunt. Nam ubi scriptor sub finem cap. 81. exposuit, quanta atrocitate in prima ista seditione Corcyraei inter se saeviissent, verbis *οὕτως ὡμῇ στάσις προῦχώρησε* ad digressionem transit, qua similem postea, vel atrocioram adeo, similibus motis seditionibus, prope omnium Graecarum civitatum conditionem fuisse ostendit. Quae atrocissimarum calamitatum, quibus multo tum gravius quam ipso bello Graecia afflictata est, descriptio quid mirum est quod hominem patriae amantissimum ita tenuit, ut, quum extremo capite 83. ad finem eam perduxisse videretur, quasi a re proposita avellere se non posset, ut optime Arnoldus monuit, cap. 84. ad eandem paullulum immutatam rediret, plerisque eorum, quae paullo post universam Graeciam conflictasse docuerat, malis tum primam Corcyram dilaceratam esse demonstrans. Quo facto capitis 85. demum initio digressionem omittens ad ipsum historiae filum redit, et ut ver-

1) Thucyd. III, 82. init: *ἐπεὶ ὅσπερ γὰρ καὶ πᾶν, ὡς εἰπεῖν, τὸ Ἑλληνικὸν ἐκινήθη κ. τ. λ.*

bis in limine cap. 84. positus ἐν δ' οὖν τῇ Κερκύρα τὰ πολλὰ αὐτῶν προετολήθη ad digressionem, ab extremis cap. 81. verbis οὕτως ὡμῇ στάσις προὐχώρησε, καὶ ἔδοξε μᾶλλον, διότι ἐν τοῖς πρώτῃ ἐγένετο ordientis, initium remittitur, ita capitis 85. ineuntis verba οἱ μὲν οὖν κατὰ τὴν πόλιν Κερκυραῖοι τοιαύτας ὁργαῖς ταῖς πρώταις ἐς ἀλλήλους ἐχρήσαντο ipsam historiae narrationem, sub finem cap. 81. post haec verba: καὶ γὰρ πατήρ παῖδα ἀπέκτεινε, καὶ ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἀπεσπῶντο καὶ πρὸς αὐτοῖς ἐκτείνοντο, οἱ δὲ τινες καὶ περιοικοδομηθέντες ἐν τοῦ Διονύσου τῷ ἱερῷ ἀπέθανον interruptam, continuant.

Quae proxime sequuntur verba τὰ πολλὰ αὐτῶν Arnoldo dubitandi materiam dederunt. Qui quum ipse primo αὐτῶν ad τὰ ἔργα in hisce superioris capitis verbis: τολμηρῶς πρὸς τὰ ἔργα ἐχώρουν referendum monuisset, deinde id non posse facile fieri, nec aliud quidquam esse, quo referretur, censuit. Et recte quidem fecit vir praestantissimus, quod pronomen αὐτῶν ad τὰ ἔργα spectare posse negavit, recte id quoque, quod unum aliquod in iis, quae antecedunt, verbum desiderat, quo αὐτῶν pertineat. Sed debebat recordari, haud raro fieri, ut pronomen αὐτός, grammaticam rationem si spectaveris, non habeat in praecedentibus, quo referatur, sed debeat relatio liberius ex universa eorum, quae antecesserunt, sententia effici. Cuius rei ut unum aut alterum ex ipso Thucydide exemplum afferamus, conferatur II, 43, 1: καὶ οἷδε μὲν προσηκόντως τῇ πόλει τοιοῖδε ἐγένοντο· τοὺς δὲ λοιποὺς χρὴ ἀσφαλεστέραν μὲν εὐχεσθαι, ἀτολμοτέραν δὲ μηδὲν ἀξιοῦν τὴν ἐς τοὺς πολεμίους διάνοιαν ἔχειν, σκοποῦντας μὴ λόγῳ μόνῳ τὴν ὠφελίαν, ἣν ἂν τις πρὸς οὐδὲν χεῖρον αὐτοὺς ὑμᾶς εἰδότας μηχανοί, λέγων ὅσα ἐν τῷ τοὺς πολεμίους ἀμύνεσθαι ἀγαθὰ ἐνεστίν, ἀλλὰ μᾶλλον τὴν τῆς πόλεως δύναμιν καθ' ἡμέραν ἔργῳ θεωμένους, καὶ ἐραστὰς γιγνομένους αὐτῆς, καὶ ὅτ' ἂν ὑμῖν μεγάλη δόξη εἶναι, ἐνθυμονομένους, ὅτι τολμῶντες καὶ γινώσκοντες τὰ δεόντα, καὶ ἐν τοῖς ἔργοις αἰσχυρόμενοι ἄνδρες αὐτὰ ἐκτείναντο. Ubi ad αὐτὰ ex proxime antecedentibus, maxime ex τὴν τῆς πόλεως δύναμιν, vel ἡ κεκτημένη, vel ἡ πόλις κέκτεται, vel simile aliquid supplendum est. Quo loco si quis obijciat, grammatica quidem relatione non esse quo αὐτὰ pertineat, sed referri tamen sensu ad unum in iis, quae antecedunt, verbum τὴν δύναμιν, ex quo illud sit supplendum, quo pronomen spectet, id quod nostro loco secus est: remittamus eum ad Thucyd. VI, 18, 6: καὶ μὴ ὑμᾶς ἡ Νικίον τῶν λόγων ἀπραγμοσύνη καὶ διάστασις τοῖς νέοις ἐς τοὺς πρεσβυτέρους ἀποτρέψη, τῷ δὲ εἰωθότι κόσμῳ, ὥσπερ καὶ οἱ πατέρες ἡμῶν ἅμα νέοι γεραιτέροις βουλευόντες ἐς τὰδε ἦσαν αὐτὰ, καὶ νῦν τῷ αὐτῷ τρόπῳ πειρᾶσθε προαγαγεῖν τὴν πόλιν. Ibi enim prorsus nihil est, quo referatur pronomen αὐτὰ, sed ex universa eorum, quae antecedunt, serie τὰ πράγματα vel simile aliquid supplendum esse interpretes viderunt. Ita nostro quoque loco τὰ πολλὰ αὐτῶν intelligenda sunt pleraque eorum, quae in plurimis Graecorum civitatibus inter seditiones perpetrata esse scriptor paullo ante memoraverat. Et ita Bloomfieldius intellexit, qui ex antecedentibus τὰ εἰργασμένα suppleri vult, et Krüger, qui αὐτῶν interpretatur: der Kap. 82 und 83 erwähnten Schlechtigkeiten.

Continuatur oratio tribus optativis δράσειαν, γινώσκοιεν, ἐπέλθοιεν, ex ὅποσα pendentibus. Qui, quod nulla sententia primaria inclusi essent, neque in orbem conformati, Goellero orationem languidam gressumque lentum frigidumque reddere, et proinde ab indole Thucydidis abhorreere visi sunt. Sed merito Poppo neque rotunditatem quasi periodi, neque sententiam principalem, qua optativi includantur, desiderari monuit, quum Arnoldus hanc esse verborum constructionem docuerit: προετολήθη — ὅποσα δράσειαν — γινώσκοιεν — ἐπέλθοιεν. Et facilius etiam recte compositam esse orationem et iusta comprehensione devinctam apparebit, si verba καὶ ὅποσα ὕβρει μὲν ἀρχόμενοι — οἱ ἀνταμυνόμενοι δράσειαν, πενίας δὲ τῆς εἰωθυῖας

ἀπαλλαξέοντες τινες — παρὰ δίκην γινώσκοιεν non cum Poppone ita intellexerimus, ut scriptorem, exorsum verbis καὶ ὅποσα ὕβρει, proprie porrectum fuisse καὶ ὅποσα πενίας, deinde interposito μὲν leviter variasse orationem statuamus, quo posito ipsa constructionis mutatione minus rotunda evaderet oratio, sed particulae καὶ eam vim tribuerimus, qua accuratius definientiae orationi inservit, ad quam rem significandam Latini particulis atque, et — quidem utuntur. Et sic Krüger videtur interpretari, quamquam obscurius loquitur. Qua ratione probata, ipsa particula καὶ indicatur, tres, quae sequantur, sententias, per optativos δράσειαν — γινώσκοιεν — ἐπέλθοιεν enuntiatas perque particulas μὲν — δὲ — τέ coniunctas, una comprehensione complectendas sententiae primariae ἐν δ' οὖν τῇ Κερκύρᾳ τὰ πολλὰ αὐτῶν προετολήθη subiici ut secundarias. Et recte fecit scriptor, quod, quum antea in universum magis dixisset, tum primum in Coreyra pleraque eorum perpetrata esse, quae postea universa prope Graecia patrasset, deinde accuratius definivit, qualia illa facinora fuissent, tum primum a Coreyraeis commissa, quibusque ii stimulis ad tantam atrocitatem concitati essent. Nam quum et per se apertum sit, et quotidiana experientia doceat, talibus temporibus, qualia hoc loco Thucydides describit, magis in dies augeri malum, pestem ingravescere, depravari naturam humanam, tum idem illo quoque tempore accidisse his verbis Thucydides testatur (III, 82, 3): ἐστασίαζε τε οὖν τὰ τῶν πόλεων, καὶ τὰ ἐμυστερίζοντά που πύσσει τῶν προγενομένων πολὺν ἐπέφερε τὴν ὑπερβολὴν τοῦ καινούσθαι τὰς διανοίας τῶν τ' ἐπιχειρήσεων περιτεχνήσει καὶ τῶν τιμωριῶν ἀτοπία. Itaque postquam cap. 82 et 83. exposuit, qualis per seditiones istas Graeciae status evasisset, qualesque extitissent Graecorum mores atque ingenia, cap. 84. ad unam Coreyram rediens demonstrat, quibus iam tum cupiditatibus animorumque perturbationibus commoti eius insulae cives initio statim funestissimorum istorum temporum pleraque eorum commiserint, quae postea in omnibus paene Graecorum civitatibus patrata sunt. Proponit autem tria potissimum facinorum a Coreyraeis commissorum genera. Primum: ὅποσα ὕβρει ἀρχόμενοι τὸ πλεον ἢ σωφροσύνη ὑπὸ τῶν τὴν τιμωρίαν παρασχόντων οἱ ἀνταμυνόμενοι δράσειαν; alterum: ὅποσα πενίας τῆς εἰωθυίας ἀπαλλαξέοντες τινες, μάλιστα δ' ἂν διὰ πάθους ἐπιθυμοῦντες τὰ τῶν πέλας ἔχειν, παρὰ δίκην γινώσκοιεν; tertium: ὅποσα οἱ μὴ ἐπὶ πλεονεξίᾳ, ἀπὸ ἴσου δὲ μάλιστα ἐπιόντες, ἀπαυδενσίᾳ ὀργῆς πλεῖστον ἐκφερόμενοι, ὡμῶς καὶ ἀπαραιτήτως ἐπέλθοιεν.

Sed innumeras paene in explicandis his verbis difficultates moverunt interpretes. Primum enim disceptatum est, utrum ea continerent sententiam generalem, quaeque ad omnia loca atque tempora spectaret, an quae ad solos illius aetatis Coreyraeos pertineret. Sed recte Poppo contra Arnoldum, Haackium, alios, qui generalem sententiam exprimi censerent, id usum Graeci sermonis concedere negavit, quod in relativis huius generis enunciationibus optativus ad significandam rem saepius repetitam de praeterito tantum tempore usurparetur, non item de praesente. Itaque verba ὅποσα δράσειαν (γινώσκοιεν — ἐπέλθοιεν) valere: quae facerent, seu quaecumque faciebant, non quaecumque faciunt, nec sententiam ad omnia tempora et loca spectantem continere, sed de solis Coreyraeis illius aetatis accipienda videri. Idem tamen, quum et natura sententiae verba generatim intelligi non solum patiat, sed, quo satis gravis fiat, propemodum postulet, et in altero membro ἂν in vv. μάλιστα δ' ἂν legatur, idem ἂν primo membro, ubi post δράσειαν excidere facile potuerit, additum velit, coll. Matth. gr. gr. §. 527, a. et Rost §. 123, 2; in tertio enim membro ex superioribus, quamquam non sine inconcinnitate aliqua, mente posse repeti. Nobis neque in altero membro particula ἂν ad optativum γινώσκοιεν, de qua re Poppo ipse in editione maiore paullo post dubitanter loquitur, sed ad solum participium ἐπιθυμοῦντες spectare videtur, neque in primo membro quidquam excidisse. Etenim si verum est, de quo

nemo dubitat, cap. 84. ab universa Graecia ad unam Corcyram redire orationem, apparet, hoc loco sententiam requiri, non ad omnia tempora locaque, sed ad solos Corcyraeos pertinentem, qualis excludit usum particulae *ἄν* optativo additae. Et ad solos Corcyraeos pertinent, quae proxime sequuntur: *ξυνταραχθέντος τε τοῦ βίου — ἐν ᾧ μὴ βλέπουσαν ἰσχὺν εἶχε τὸ φθονεῖν*. Post ea demum verba in fine capituli ad generalem sententiam redit scriptor, qua universam digressionis seriem concludat.

Triplicem igitur causam Thucydides proponit, cur tanta inter se crudelitate Corcyraei saevierint; primum vindictae studium eorum, qui imperii sibi impositi insolentiam data potestate ulcisci cuperent; deinde aviditatem inopum, fortunis opulentorum potiundi cupiditate flagrantium; denique humani ingenii et naturae effrenationem atque impotentiam.

Sed necesse est, paene singula hic examinemus scriptoris verba, in quibus tot locis haesitarunt interpretes, ut difficile sit, ad singulas eorum dubitationes respondere.

Atque primi membri apparet hanc esse constructionem: *ὅποσα οἱ ἀνταμυνόμενοι, ἀρχόμενοι ὑβρεῖ τὸ πλεον ἢ σωφροσύνη ὑπὸ τῶν τὴν τιμωρίαν παρασχόντων, δράσειαν*; quam orationis seriem non perspicies Goeller de toto loco desperat. Sed probata illa verborum constructione primum quaeritur, qui sint *οἱ τὴν τιμωρίαν παρασχόντες*, quae verba Popponem quidem ita vexarunt, ut in maiore editione haec prae ceteris sibi hoc caput suspectum reddere, in minore, absona videri, profiteretur, quaeque reliqui interpretes diversissima ratione explicare conati sunt. Verum Bloomfieldius in editione 2. vidit, verba *ὑπὸ τῶν τὴν τιμωρίαν παρασχόντων* reddi iubens: „*ab iis, qui [iam] ulciscendi sui opportunitatem praebebant*“, nisi quod non praebebant, sed praebuerant dicere debebat. Similiter Thuc. II, 50, 2: *οἱ δὲ κύνες μᾶλλον αἰσθῆσιν παρῆχον τοῦ ἀποβαίνοντος διὰ τὸ ξυνδιατᾶσθαι*, i. e. canes magis eventum sentiendi opportunitatem dabant. V, 67, 2: *Ἀργείων οἱ χίλιοι λογάδες, οἷς ἡ πόλις ἐκ πολλοῦ ἄσκησιν τῶν ἐς τὸν πόλεμον δημοσίᾳ παρῆχεν*, i. e. quibus urbs iam pridem in rebus bellicis sese exercendi facultatem publice praebebat. *Οἱ ἀνταμυνόμενοι*, i. e. qui acceptarum iniuriarum poenas repeterent, Corcyraeorum plebs, *οἱ τὴν τιμωρίαν παρασχόντες* optimatum factio intelligitur, quae, victa tum, oppressae antea plebi ulciscendi opportunitatem praebuerat. At offendat fortasse aliquis in tempore participii *ἀρχόμενοι*, ad eliciendam eam, quam nos proposuimus, sententiam *ἀρχθέντες* potius cum Goellero et Arnoldo desiderans. Nonne enim Corcyraeorum plebs eo tempore, de quo hic agitur, optimatum imperium paullo ante sibi impositum victoria parta denuo excusserat, ut non iam *ἀρχομένη* ὑπὸ τῶν ὀλιγών, sed *ἀρχθεῖσα*, dicenda esset? Equidem, si quis ita quoque dici potuisse contenderit, non intercedam; sed potuisse etiam *ἀρχομένην* tum dici Corcyraeorum plebem apertum est. Etenim quum populari antea imperii forma Corcyra usa esset, occisis ab adversa factione Pithia eiusque sociis (Thuc. III, 70), ad optimates imperium a plebe videtur translatum esse. Quod quamquam non his ipsis verbis scribit Thucydides, universa tamen rerum ab eo narratarum series ita factum esse demonstrat. Neque enim fuisset, quod pars quaedam adversariorum occiso Pithia primo in navem Atticam, deinde Athenas confugeret (Thuc. III, 70, 6; 71, 2), neque, quum nobiles statim post Pithiae reliquorumque caedem eam legem rogassent, ut Corcyraei in posterum neque Peloponnesios neque Athenienses apud se reciperent, nisi si cum singulis navibus venissent, coegisse populum, ut eam legem ratam esse iuberet (Thuc. III, 71, 1), dici poterant, nisi tum summa rerum penes optimates fuisset. Et paullo post (Thuc. III, 72, 2) optimates *οἱ ἔχοντες τὰ πράγματα* vocantur. Itaque non videtur dubium, quin post nobilium in senatum irruptionem caedemque Pithiae, mutata civitatis forma, summa imperii rite a plebe ad optimates transierit, ut hi iam essent *οἱ ἀρχοντες*, plebs *οἱ ἀρχό-*

μενοι. Nec magis est, quod dubitemus, quin superbe illi, ut fit, et insolenter imperio usi sint, ὕβρει τὸ πλεον ἢ σωφροσύνη, in quibus verbis mirum esset Goellerum haesisse, nisi perperam interpretatus esset. Paulo post conversa fortuna plebs pugnae quidem victrix evasit, neque vero, uti consentaneum erat inter arma, certamine nondum confecto, iusta iterum civitatis formae mutatio videtur facta esse. Itaque quamquam fracta erat optimatum potentia, populi imperio nondum rite restituto, plebs tum optimo iure ἐρχομένη dici poterat. Quod si verum est, haec primi membri universi existit sententia: *In Corcyra autem pleraque eorum ante patrata sunt, atque quae, quum insolentius iis quam continentius imperaretur ab illis, qui ulciscendi sui opportunitatem praeberant, ii facerent, qui acceptarum iniuriarum poenas repeterent* (οἱ ἀνταμνόμενοι).

Sequitur alterum membrum: (ὅποσα δὲ) πένιαι τῆς εἰσθηνίας ἀπαλλαξέοντες τινες, μάιστα δ' αὖν διὰ πάθους ἐπιθυμοῦντες τὰ τῶν πέλας ἔχειν, παρὰ δίκην γινώσκουσιν, i. e. et quae consuepta paupertate liberari cupientes aliqui, maxime vero aliorum fortunas cupide appetentes, contra ius statuerent.

Sed tribus in hac sententia locis offenderunt interpretes. Nam primum in commemoranda paupertate, qua liberari voluisse aliqui dicuntur, consuetudinis mentionem Goeller reprehendit. Facilius enim tolerari, quod consuetum sit, neque caussam novarum rerum fieri. At id ita demum verum esse apparet, si eorum, quae toleramus, molestiam iniquitatemque ipsi non sentimus. Simulatque enim conditionis nostrae indignitatem sentire coepimus, ipsa miseriae, qua oppressi sumus, diuturnitate amoliendae eius desiderium augeri consentaneum est. Et id Arnoldus Goellero merito respondit.

Sed Arnoldo ipsi in editione altera verbum γινώσκουσιν dubitandi materiam praebuit, quocum δράσειαν et ἐπέλθοιεν convenire negat. Credo, propter temporum diversitatem, quum γινώσκουσιν praesenti tempore enuntiatum sit, δράσειαν et ἐπέλθοιεν aoristo. At vellem, vir praestantissimus explicasset, utrum ad significandum id, quod significari vult Thucydides, praesentis temporis usus ipsi displiceret, an aoristi, an id ipsum, quod tempora mutata sunt. Mihi quidem, quum optativi hoc loco eam significationem habeamus, quo is cum relativis iunctus id exprimit, quod non semel factum est, sed saepius repetitum, utriusque temporis usus aequae probatur, quum in Aoristo optativi vis fere idem significet, quod Praesens per se ipsum significare solet, rem saepius esse repetitam. Et difficile dictu est, utrum frequentior in eius generis enunciationibus Praesentis usus sit, an Aoristi. Quae quum ita sint, ne in eo quidem, quod ab Aoristo ad Praesens, a Praesenti ad Aoristum transit oratio, quisquam potest offendere, quum et ubique magna sit in huiusmodi transitionibus Graeci ingenii ac sermonis mobilitas, et hoc loco ipsa optativi natura discrimen minuat, quod inter Praesens et Aoristum solet intercedere.

Maioris momenti est, quod de verbis διὰ πάθους idem Arnoldus monuit. Eorum universi loci sententia duplicem interpretationem concedere videtur, ut aut cum Haackio in ed. 2. reddas: *perturbatione animi incitati* (Gail: *égarés par leur passion*), aut cum Arnoldo: *passionately*, i. e. *leidenschaftlich*, *cum perturbatione animi* (Dukas: *μετὰ πλείστης ὀσῆς ἐπιθυμίας*). Sed vereor, ut is praepositionis διὰ cum genitivo iunctae usus, quem Gail et Haackius hoc loco deprehendisse sibi videntur, ut eandem illa vim habeat, quam Latinorum Ablativus, qui dicitur caussae, exemplis possit comprobari. Equidem nullum exemplum memini, de quo non possit dubitari, et quae quis fortasse huc trahenda existimet, ea eodem iure ad eam praepositionis διὰ cum genitivo casu iuncta vim referri possunt, qua ea *modum* significat et quasi *viam*, qua quid fit. Cf. Soph. OR. 807: *καὶ τὸν ἐκτρέποντα, τὸν τροχλάτην, παῖω δὲ ὀργῆς, ὅτι δὲ ὀργῆς*

possis quidem interpretari: *commotus ira*, sed non dubito, quin rectius interpretentur: *per iram, iracunde*. Item in Eurip. Bacch. 441: καὶ γὰρ δι' αἰδοῦς εἶπον, ὦ ξέν', οὐχ ἐξὼν ἄγω σε verborum δι' αἰδοῦς verior interpretatio videtur esse: *cum verecundia, verecunde*, quam *motus verecundia*. Accedit, quod πάθος in universum perturbationem animi significat, non certum quoddam perturbationis genus. Iam verò aptissime quidem quis dicat, Corcyraeorum quosdam *avaritia* aut *aviditate* ductos aliorum bona concupivisse, non item, *perturbatione animorum* concitatos, id quod non magis perspicue dictum foret, quam si quis nostrum patrio sermone diceret: sic strebten aus Leidenschaft nach fremdem Gute, quum certam aliquam animi perturbationem (Leidenschaft) nominatam velis. Itaque non dubium videtur, quin Dukae et Arnoldi interpretatio sequenda sit. Ad quam vim praepositionis διὰ cum genitivo casu iunctae comprobandum Arnoldus Thuc. VIII, 43, 4: ἀγανακτῶν δὲ ὁ μὲν Τισσαφέρνης ἀπεχώρησεν ἀπ' αὐτῶν δι' ὀργῆς καὶ ἄπρακτος conferri iubet. Apertior etiam aliis locis res est, ut Eurip. Phoen. 262: τὰ μὲν πυλωρῶν κληῖθρά μ' εἰσεδέξαντο δι' εὐτελείας, i. e. εὐτελῶς, *facile*. Eurip. Bacch. 212: Πενθεὺς πρὸς οἴκους ὅδε διὰ σπουδῆς περᾶ, i. e. σπουδαίως, *festinanter*.

At vere Arnoldus mōnet, si illam verborum διὰ πάθος interpretationem probaverimus, quam unam universa loci sententia concedere videtur, voci πάθος tribui diversam a Thucydidei sermonis usu vim. Nam nullum se praeter hoc unum aut Thucydidis aut alius scriptoris, superioris aetate Aristotele, exemplum novisse, quo πάθος animi perturbationem significet, quae usitatissima eius vocis inde ab Aristotele vis est. Apud Thucydidem ubicunque praeter hunc unum locum vox πάθος invenitur, significari „casum adversum, infortunium, calamitatem“. Sed idem Arnoldus addit, quum alia quoque apud Thucydidem verborum exempla reperiantur, semel alia significatione usurpatorum, ac quae ipsi usitata sit, ex eo, quod πάθος diversam hoc loco vim habeat ab ea, quae esse solet apud Thucydidem, non effici, ut universus locus pro spurio habendus sit. Et adiecit exempla quaedam illius generis, ut ἀμίνεσθαι, *remunerari*, I, 42, 78. IV, 63; ἀναζωγή, *haesitatio*, VIII, 87. Addiderim, quum inde ab Aristotelis aetate consueta vocis πάθος ea vis sit, ut perturbationem animi significet, unde apparet, inesse hanc in ea voce notionem et cum ipsa eius natura convenire, ex eo, quod eadem hoc loco vi Thucydides ea usus sit, quum aliud aut Thucydidis aut alius scriptoris aetate Thucydidis aequalis, qui eadem notione usurpaverit, non videatur extare, non recte colligi, universum locum esse subditiuum.

Superest, de particula ἄν in verbis μάλιστα δ' ἄν — ἐπιθυμοῦντες ut paucis dicamus. Quam, si vera sunt, quae de universa loci sententia, non generali, sed ad solos illius aetatis Corcyraeos spectante, supra disputavimus, non ad γινώσκειν, sed ad ἐπιθυμοῦντες pertinere apertum est. Et magna est in eius particulae usu hoc loco sermonis ars et elegantia. Ipse enim Thucydides, ut consentaneum est in viro humanae naturae peritissimo, in ea est sententia, homines istos, qui tum Corcyrae opportunitate data aliorum bona diriperent, eam huius facinoris causam prae se ferentes, quod egestate illa, qua tam diu excruciatii essent ac confecti, tandem aliquando liberari vellent, non fere hocce desiderio fuisse actos, sed aviditate et avaritia incitatos. Sed quae est Attici sermonis cautio ac modestia, quum non sit dubium, quin ipsi praedatores illi egestatem suam praetexerint, non avaritiam, Thucydides, quamquam ipsius diversa est sententia, tamen in exprimenda ea, ut mitigaret orationem et quasi contineret, particula ἄν usus est. Itaque, si participium in verbum finitum converteris, haec oritur verborum series: μάλιστα δ' ἄν διὰ πάθος ἐπιθυμήσειαν τὰ τῶν πέλας ἔχειν. In qua ipsa orationis modestia quis est, quin intelligat, tantam inesse elegantiam ingeniumque ita vere Atticum, ut mihi quidem haud facile quisquam persuasurus sit, ita nescio quem grammaticum, huius capitis auctorem, scripsisse.

Tertio loco eorum facinora ponit Thucydides, qui non avaritia acti, sed aequales fere fortunis ac conditione adversariis, ingenii sui et naturae effrenatione se auferri passi, crudeles inexorabilesque sese gesserint, (ὅποσα τε) οἱ μὴ ἐπὶ πλεονεξίᾳ ἀπὸ ἴσου δὲ μάλιστα ἐπιόντες, ἀπαιδευσίᾳ ὀργῆς πλείστον ἐκφερόμενοι, ὡμῶς καὶ ἀπαραιτήτως ἐπέλθοιεν. Primo eos commemoraverat, qui imperii sibi impositi iniuriam ulcisci cuperent, deinde qui aut inopia aut avaritia compellerentur, denique eorum mentio fit, qui effrenatione animi atque ingenii sui violentia, ipso certamine excitata atque aucta, ad perpetranda facinora auferrentur. Etenim quis istam ignorat ingenii humani indolem, qua fit, ut homines, nullo odio, nulla inimicitia privata concitati, ipsius pugnae quasi furore quodam, innatam homini ferociam suscitante, abrepti crudelissime saeviant? Et sic fere Arnoldus intellexit, tertiam causam facinorum Corcyrae commissorum commemorans „the mere bitterness of party spirit, which men contract by being habitually opposed to one another“, nisi quod perperam *partium studium* immiscuit et *diuturna* factionum inter se certamina, quorum nulla apud Thucydidem mentio est.

Sed rursus negotia facessit Goeller, haerens in verbis οἱ μὴ ἐπὶ πλεονεξίᾳ ἀπὸ ἴσου δὲ μάλιστα ἐπιόντες, ex adverso inter se positis. Nam tantum abest, inquit, ut ἀπὸ τοῦ ἴσου [ita enim cum quibusdam libris manu scriptis, quam cum aliis ἀπὸ ἴσου, legi mavult] sit contrarie ponendum τῷ πλεονεκτεῖν, ut τὸ πλεονεκτεῖν fiat ἀπὸ τοῦ ἴσου. Quorum verborum, si recte equidem interpretor, haec est sententia, qui pares fortunis vitaeque conditione adversariis in certamen descendant, et ipsos posse plus habendi cupiditate ad certandum excitari, itaque parum apte τοὺς μὴ ἐπὶ πλεονεξίᾳ ἐπιόντας opponi τοῖς ἀπὸ ἴσου ἐπιούσιν. At nodum in scirpo quaerit vir doctissimus. Quae enim per se vera esse facile concedimus, ea, si universam orationis seriem spectaveris, concidere apparet. Nam postquam altero loco eos posuit Thucydides, qui, ut ipsi dictitabant, egestatem consuetam abiiciendi desiderio, ut Thucydides, avaritia maxime aliorumque bonis inhiantē cupiditate permoverentur, hisce optimo iam iure ex adverso ponit τοὺς μὴ ἐπὶ πλεονεξίᾳ ἀπὸ ἴσου δὲ μάλιστα ἐπιόντας. Illos significat egenos homines, qui, rerum publicarum perturbatione usi, vi ac rapinis inopiae suae mederi studuerint, hos homines locupletes, qui, quum opibus haud fere inferiores essent adversariis, ea quidem causa, quod beatorum adversariorum sorti inviderent, non potuerint ad ferociam immanitatemque excitari. Quorum utrum vel sic fieri potuerit ut avaritia quidam aliorumque spoliis suas facultates augendi aviditate flagrarent, id a consilio Thucydidis, alia spectantis, alienum est cum Goellero quaerere.

Levius etiam est, quod idem vir doctus, οὐκ ante ἐπὶ πλεονεξίᾳ desiderans, μὴ soloecismum esse dictitat. Etenim in vulgus notum est, apud participium μὴ locum habere in sententiis conditionalibus, qualis haec est. Nam quod Thucydides dixit: οἱ μὴ ἐπὶ πλεονεξίᾳ ἀπὸ ἴσου δὲ μάλιστα ἐπιόντες, hoc idem est, ac si scripsisset: εἴ τινες — ἐπίοιεν. Et si totius sententiae natura μὴ requirat, hancce particulam etiam ibi usurpari, ubi non ad universam sententiam, sed ad singula vocabula ex adverso inter se posita pertineat, exemplis satis demonstratur. Cf. Thuc. III, 42, 5: καὶ δὲ τὸν μὲν ἀγαθὸν πολίτην μὴ ἐκφοβοῦντα τοὺς ἀντεροῦντας, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ ἴσου φαίνεσθαι ἄμεινον λέγοντα. Xenoph. Anab. IV, 4, 15: οὗτος γὰρ ἐδόκει καὶ πρότερον πολλὰ ἤδη ἀληθεύσαι τοιαῦτα, τὰ ὄντα τε ὡς ὄντα, καὶ τὰ μὴ ὄντα ὡς οὐκ ὄντα.

Nec maioris videtur momenti esse, quod in ἀπαιδευσίᾳ ὀργῆς Arnoldus haesit, quia ἀπαιδευσία hoc loco non significet „coarseness, rudeness of passion“, sed „ungovernableness“, i. e., ut nos supra interpretati sumus, *effrenationem*, quam recentiore esse huius vocis significationem Arnoldus iudicat. Sed merito Poppo, quum Euripidem in Archelao apud Stob. serm. p. 171, 52. dixisse: πόλλ' ἐστὶν ὀργῆς ἐξ ἀπαιδεύτων κακὰ Bloomfieldius docuerit, in ἀπαιδευσίᾳ ὀργῆς neminem recte haerere posse monuit.

In iis, quae sequuntur, — *ξυνταραχθέντος τε τοῦ βίου — πολέμια δὲ τοῦ προῦχοντος*, — societatis civilis conditio, quae illis existere solet temporibus, quibus, violenta rerum publicarum conversione facta, legibus soluti homines effrenatam nacti sunt cupiditatibus suis indulgendi licentiam, tam vere tamque praeclare adumbratur, ut neminem, nisi virum et ingenii humani et historiae peritissimum, haec potuisse scribere appareat. At Goeller a sano homine talia proferri potuisse negat! Nimirum non intellexit, in quae vehementissime invehitur. Et ad singula, quae is hoc loco commentus est, respondere supersedebimus, quum satis sit futurum, demonstrare, sanissima esse omnia et digna historicorum principe. Quid enim verius, quam quod dicit: *τῶν νόμων κρατήσασα ἡ ἀνθρωπεία φύσις, εἰωθὺν καὶ παρὰ τοὺς νόμους ἀδικεῖν, ἀσμένῃ ἐδήλωσεν ἀκρατῆς μὲν ὀργῆς οὕσα κ. τ. λ.*? Nonne natura humana etiam vigentibus legibus propensa est ad maleficia violandaeque legum praecepta (*εἰωθὺν καὶ παρὰ τοὺς νόμους ἀδικεῖν*), quum vix poenarum propositarum metu a peccando arceatur? At ubi, magna rerum omnium perturbatione facta, *abrogatarum quasi legum iugum excusserunt homines* (*τῶν νόμων κρατήσασα ἡ ἀνθρωπεία φύσις*), tum vero ingenii humani pravitas exuberat summaque sese iactat impudentia, ne legum quidem, quae iam nullae sunt, severitate amplius coercita. Tum ille rerum status exoritur, quem egregie hoc loco Thucydides depinxit, quo natura humana impotentem concitationis animi, et iure superiorem, et eius, quod eminet, hostem sese ostentat. Et exultare tum in ostentanda sua pravitate homines (*ἀσμένῃ ἐδήλωσεν ἡ ἀνθρωπεία φύσις κ. τ. λ.*) demonstraturus, rei publicae Gallorum conversionem superiore saeculo factam recordari iubet Krüger. Quid igitur in hacce istorum temporum descriptione inest, non dicam sano homine, sed maximo historico indignum?

At vehementer proximorum verborum — *οὐ γὰρ ἂν τοῦ τε ὁσίου τὸ τιμωρεῖσθαι προὔτιθεσαν τοῦ τε μὴ ἀδικεῖν τὸ κερδαίνειν, ἐν ᾧ μὴ βλάπτουσιν ἰσχὺν εἶχε τὸ φθονεῖν* — enodanda vel sententia vel ratio grammatica vexavit interpretes, haerentes maxime in verborum ἐν ᾧ explicatione. Longum est, quae ad interpretanda ea, alia ab aliis, prolata sunt, enumerare omnia. Equidem si quid video, eam hoc loco habemus loquendi formulae ἐν ᾧ significationem, qua illa non ad ipsum quidem tempus, sed ad temporum rerumque conditionem ([Zeit=] Umstände, [Zeit=] Verhältnisse) pertinet. Qua vi ubicunque verba ἐν ᾧ usurpata sunt, non vere conditionalem quidem significationem habent, sed quae tamen a conditionis cuiusdam natura non longe abesse videatur. Cf. Thuc. I, 122, 2: *καὶ τὴν ἥσαν, εἰ καὶ δεινὸν τῷ ἀκούσαι, ἴστω οὐκ ἄλλο τι φέρονσαν ἢ ἀντικρυς δουλείαν· ὃ καὶ λόγῳ ἐνδοιασθῆναι αἰσχροὺς τῇ Πελοποννήσῳ, καὶ πόλεις τοσάδε ὑπὸ μιᾷς κατοπαθεῖν. ἐν ᾧ ἢ δικαίως δοκοῖμεν ἂν πάσχειν, ἢ κ. τ. λ.*, i. e. und sive denn unter diesen Umständen, in diesem Falle, Latine: *quod si accideret*, aut merito pati videremur, aut etc. VIII, 86, 4: *καὶ ἐδόκει Ἀλκιβιάδης πρῶτον τότε καὶ οὐδενὸς ἐλασσον τὴν πόλιν ὠφελεῖν· ὁρμημένων γὰρ τῶν ἐν Σάμῳ Ἀθηναίων πλεῖν ἐπὶ σφᾶς αὐτοὺς, ἐν ᾧ σαφέστατα Ἰωνίαν καὶ Ἑλλήσποντον εὐθὺς εἶχον οἱ πολέμοι, κωλυτὴς γενέσθαι*, i. e. unter welchen Umständen, in welchem Falle, *quod si fecissent*. Eadem vis verborum ἐν ᾧ nostro quoque loco videtur esse, ut hoc dicat Thucydides: neque enim pietati vindictam anteposuisset, neque lucrum innocentiae, ea rerum conditione, qua non [unter Umständen, wo nicht] nocentem vim invidia habuisset. Quae si vera est hoc loco loquendi formulae ἐν ᾧ interpretatio, quum proxime ad vim conditionalem significatio eius accedat, apparet simul, cur ante *βλάπτουσιν* particula *μὴ* sit posita, non *οὐ*, in quo et ipso interpretes offenderunt. At, quaerat aliquis, nonne invidia nocentem habet vim, quaecunque temporum rerumque est conditio? — Magnum habere eam omnibus temporibus ad depravandos hominum animos momentum, nemo sanus ne-

gaverit. Sed composito pacatoque statu rei publicae, ubi leges vigent ad coercendas cupiditates civium, ad solvenda quidem vitae civilis vincula evertendasque omnes iuris et divini et humani rationes non valet invidia. At sublati violenta rerum publicarum conversione legibus institutisque civitatis, tum vero — *ξυνταραχθέντος τοῦ βίου ἐς τὸν καιρὸν τοῦτον τῇ πόλει* — perniciose ista invidiae vis exoritur, quam hoc loco Thucydides significat, quae compellit homines ad negligenda vindictae lucrique caussa sanctissima pietatis iustitiaeque officia.

Verum, inquit Poppo ¹⁾, si isto modo interpretamur, nonne vindictae et lucri cupiditatum sola caussa fuisse dicitur invidia? Quum vero paullo ante praeter invidiam turbidi animi motus et sprete iustitia nominata sint, non apparet, cur non ex his quoque illae cupidines repetantur. — At si quis homines non fuisse pietati vindictam lucrumque innocentiae praeoptaturos scribit, nisi nocentem invidia vim habuisset, inde non sequitur, eum ab una invidia repetere ista maleficia, sed tantum in ea esse sententia, ut invidiam quoque in caussis scelerum istorum fuisse censeat. Nec aliud quidquam Thucydidem significare voluisse inde apparet, quod, ut invidia per se sola ad anteponendum iustitiae lucrum possit nos compellere, certe non potest per se sola adducere, ut, posthabitis pietatis legibus, vindictam expetamus. Quem enim unquam, nisi aliae ulciscendi caussae accesserint, sola invidia ad ultionem concitavit? Quod si quis quaesiverit, quum ex ipsius, uti videtur, Thucydidis sententia praeter invidiam iustitiae quoque contemptio et concitationis animorum impotentia effecerint, ut pietati vindictam lucrumque innocentiae anteponebant, cur illam tantum nominatim commemoraverit, non item has: eius rei caussa in promptu est. Nam *ἀπειθεύσαντες ὁρχῆς* et *τὸ κρατῆσαι τῶν νόμων* (τοῦ δικαίου) in caussis facinorum Coreyrae commissorum fuisse iam antea confessus, invidiam hoc primum loco memorat. Itaque ex re esse censuit, additis verbis *οὐ γὰρ ἂν* — *τὸ φθονεῖν* testari, invidiae quoque in concitandis istis malis fuisse partes quasdam.

In ultima sententia: *ἀξιοῦσι τε* — *δεήσεται αὐτῶν* nihil est, in quo vel Goeller serio offenderit. Nam desideranti ei, quo verba *περὶ τῶν τοιούτων* referrentur, satis iam Arnoldus respondit, quae hic repetere non attinet.

Quodsi iam in extrema disputatione nostra universum caput animo repetiverimus, non infitiabimur, inesse in eo obscuriora quaedam, quaeque interpretis officium requirant. Sed neque in singulis verbis, neque in sententiarum natura serieque quidquam reperimus, quod aut cum ingenio Thucydidis, rerum explicatoris prudentis, severi, gravis, non optime conveniat, aut a sermone eius, *grandi verbis, crebro sententiis, compressione rerum brevi et ob eam ipsam causam interdum subobscuris* abhorreat. Neque vero, si quid sentio, tanta huius loci est obscuritas, ut non et aliis multis eiusdem scriptoris locis, et ipsis, quae proxime antecedunt, duobus capitibus etiam maior offusa videatur. Itaque ad dammandum tamquam spurium hoc caput fere unum superest scholiastae Augustani testimonium, de quo, nemini id interpretum a Thucydide conscriptum visum esse profitente, quid iudicandum esset, supra vidimus.

Accedit, quod duobus locis Dio Cassius hoc caput videtur imitatus, LII, 34 his verbis: *πολλὰ γὰρ ἡ φύσις καὶ παρὰ τὸν νόμον πολλοὺς ἀμαρτάνειν ἐξάγει*, et paullo post: *ὁ μὲν γὰρ νόμος, καίτοι ἰσχυρὰ τὰ κολάσματα ἀναγκάως ποιούμενος, οὐ δύναται τῆς φύσεως ἀεὶ κρατεῖν*. Quamquam minus equidem ei imitationi tribuerim, quum haud immerito Goeller observaverit, posse ista verba aequae bene trahi ad Thuc. III, 45, ubi haec leguntur: *πεφύκασι τε ἅπαντες καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἀμαρτάνειν, καὶ οὐκ ἔστι νόμος, ὅστις ἀπειρήξει τούτον· ἐπεὶ διεξελήλυθασι γὰρ διὰ πασῶν τῶν ζημιῶν οἱ ἄνθρωποι προστιθέντες, εἴ πως ἦσσαν ἀδικοῦντο ὑπὸ τῶν κακούρ-*

1) Thuc. ed. Poppo edit. mai. III, 2, p. 837.

γων· καὶ εἰκὸς τὸ πάλαι τῶν μεγίστων ἀδικημάτων μαλακωτέρας κείσθαι αὐτάς, παραβαινομένων δὲ τῇ χρόνῳ ἐς τὸν θάνατον αἱ πολλαὶ ἀνήκουσι· καὶ τοῦτο ὅμως παραβαίνεται. ἢ τοίνυν δεινότερόν τι τούτου δέος εὐρετέον ἐστίν, ἢ τὸδε γε οὐδὲν ἐπίσχει· ἀλλ' ἢ μὲν πενία ἀνάγκη τὴν τόλμαν παρέχουσα, ἢ δ' ἐξουσία ὑβρεῖ τὴν πλεονεξίαν καὶ φρονήματι, αἱ δ' ἄλλαι ξυντυχίαι ὀργῇ τῶν ἀνθρώπων, ὥς ἐκάστη τις κατέχεται ὑπ' ἀνηκέστου τινὸς κρείσσονος, ἐξάγουσιν ἐς τοὺς κινδύνους. Quodsi cum Poppone Dionis verba ex praesenti loco expressa esse arbitraris, fatendum esse addit Goeller, hanc miseram aemulationem magni scriptoris iam saeculo post Chr. N. tertio insertam fuisse.

Verum ponamus paullulum, hoc caput non Thucydidis esse, sed subditicium: quo tandem consilio a quoquam suppositum iudicabimus? Arnoldus in edit. 2. fuisse nescio cuius annotationem quandam et duorum, quae proxime antecedunt, capitum epitomen respondet. At non esse merum quasi summarium, capitum 82 et 83. sententias breviter complectens, manifestum est, quicumque cap. 82 et 83. argumentum cum argumento cap. 84. comparaverit. Et velim scire, quis unquam ita potuerit Thucydidem imitari, ut et sententiis et sermonis indole universam historicorum principis naturam effictam et expressam videas. Mihi quidem nemo persuadebit, sic alium quemquam potuisse scribere praeter unum Thucydidem, nec ipsum nos Thucydidem habere, sed grammaticum nescio quem, Thucydidis imitorem. Itaque in fine disputationis nostrae liceat repetere Arnoldi, quo verius nihil proferri potuit, de huiusce loci indole iudicium, in edit. 1. historiae Thucydideae propositum, quod supra iam commemoravimus. „On the other hand“, inquit, „the whole substance of the passage seems to me to breathe the very spirit of Thucydides. I have already said that it appears like the addition of a man so fully possessed with his subject that he could scarcely force himself away from it: the 84th chapter is not an essential part of the remarks on the factions of Greece, yet it is by no means a mere repetition of what had been said before, but a stronger expression of the writer's feeling as to the moral depravity which was at once the cause and the consequence of the horrors he had been describing. Above all, the union of political wisdom with so high and pure a tone of moral feeling inclines me to believe that no man but Thucydides could have written it. A Christian grammarian might have had as correct views of the depravity of human nature, and have expressed as deep an abhorrence of wickedness; but where was the writer to be found, whether Christian or heathen, who could so briefly and with such a comprehensive perception have analysed the several causes of civil dissensions, and apportioned to each party with such entire impartiality their just share of blame; neither sparing the habitual oppression by which revolutions have ever been provoked, nor the base and selfish motives which have so often actuated their principal leaders, nor the ferocious vengeance which has disgraced their victory, and prepared the way for a still more ferocious reaction. On the whole, therefore, I am fully persuaded that the 84th chapter was written by Thucydides, and I know of no other Greek writer who was at once so good, so wise, and so eloquent, as to have been capable of being its author“.

Ita verissime Arnoldus, cui nos quidem omni ex parte assentimur.